dimisit ecclesiam v Postquam autem cessavit tumultus vocatis
paulus discipulis exhortatus eos vale dixit et profectus est
ut iret in macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas
et exortatus eos fuisset multo sermone venit ad greciam Ubi cum
fecisset menses tres facte sunt illi insidie a iudeis navigaturo
in syria habuitque consilium ut reverteretur per macedoniam Co-
mitatus est autem eum sosipater pirri beronensis thessalonicensium
vero aristarchus et secundus gaius derbeus et thimotheus asiani
vero tychicus et trophimus Hii cum precessissent sustinebant
nos troade Nos vero navigavimus post dies azimorum a philip-
pis et venimus ad eos troade in diebus quinque ubi demorati sumus
diebus septem i Una autem sabbati cum venissemus ad fran-
gendum panem paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum
protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lampades
copiose in cenaculo ubi eramus congregati Sedens autem quidam
adolescens nomine eutichus super fenestram cum mergeretur sompno
gravi disputante diu paulo eductus sompno cecidit de tertio ce-
naculo deorsum et sublatus est mortuus Ad quem cum descendisset
paulus incubuit super eum et complexus dixit Nolite turbari
anima enim ipsius in eo est ascendens autem frangensque panem et gu-
stans satisque allocutus usque in lucem sic profectus est Adduxerunt
autem puerum viventem et consolati sunt non minime Nos autem
ascendentes navim navigavimus in asson inde suscepturi
paulum Sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus
c Cum enim convenissemus in asson assumpto eo venimus
mitilenem Et inde navigantes sequenti die venimus contra chi-
ium et alia die applicuimus samum et sequenti die venimus
miletum proposuerat enim paulus transnavigare ephesum
ne qua mora illi fieret in asia Festinabat enim si possibile

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_121_2/0164
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG